AD

Augustissimum, Invictissimumque

Magnæ Britanniæ, &c.

REGEM, Gulielmum III.

DE

Pace nuper inter ipsum & Regem *GALLORUM* fœliciter facta & constabilita.

Carmen Triumphale.

Autore *GULIELMO HOGÆO*. K.

Londini, Typis *F. Collins*, 1697.

AD

Augustissimum, Invictissimumque Magnæ Britanniæ, &c. REGEM, GULIELMUM III.

Rex Augustissime,

TOT veræ tuæ sunt Virtutes, tot vera Merita, tanta vera Gloria, ut falsis tibi adblandiri & adulari titulis neutiquam sit necessarium. Pietas tua in Deum, Misericordia in Inimicos, constantia in Causa bona defendenda, omnibus bonis te carum, amabilem, & venerabilem efficiunt. Atque utinam *Buchanani* anima, quæ cum Christo est in superno Paradiso,

nunc è Cœlo Empyræo, si fati lege concederetur, in terram remearet, ut te *Magnæ Britanniæ* columen, *Hollandiæ* Patriæ tuæ Patrem, decus & Gloriam, Fidei & Ecclesiæ Christianæ Defensorem, totius *Europæ*, quinimò universi terrarum orbis miraculum, dignis te carminibus celebraret. Ego fortasse multis videor laudes tuas culpa detrivisse ingenii: sed, ut Christus laudavit liberalem viduæ egenæ animum, quæ δύο λεπτὰ in gazophylacium injicerat, Et approbavit benevolentiam fœminæ, quæ caput ipsius unguento pretioso perunxit, pedes lavit lacrymis, absterfit comis; quia fecit quod potuit. Tu, Jesu Christi Salvatoris nostri benedicti imitator, quandoquidem quo potui carmine tuas laudes celebra, vi hoc mei in te amoris, obsequii, & reverentiæ testimonium benignè acceptare digneris.

Quod

Quod niſi te Deus Omnipotens excitaſſet ad coërcendam impiorum Dei hoſtium crudelitatem, Proteſtantes vel ad Papiſmum defeciſſent, vel Papiſtarum facti fuiſſent mancipia, vel, ut olim Lutetiæ *Pariſiorum* & in *Hybernia* contigit, ſubita laniena pluſquam *Diocleſiana* multa hominum millia fuiſſent interfecta: ſed ut *Iſraelitæ* fuerunt ab *Egyptiaca* ſervitute liberati per *Moſem* à Deo excitatum, *Judæi* à *Babylonica* per *Cyrum*, ſic *Britanni* per te à Deo excitatum, ab immaniſſima tyrannide ac Servitute fuerunt liberati.

Et nunc tua Prudentia, Fortitudine, Virtute, & Manſuetudine, tota *Europa* jam jam bellis conflagratura, priſtinam libertatem & tranquillitatem recuperavit. Præterea effrænem multorum hominum *Cainiticorum* impotentiam Imperii tui Majeſtate coërcuiſti, qui etiamſi

in

ipsi Protestantium nomine glorientur, tamen in alios Protestantes à se in minutissima ceremonia dissentientes inhumaniter grassabantur & sæviebant: Quid ergo tibi omnes boni optant & precantur? Diuturnam in hoc Mundo vitam ac fœlicem transigas, & mortali tua vita peracta, immarcessibili vitæ sempiternæ corona decoratus efflorescas.

REX invictissime,

Ego sum Regiæ Majestatis tuæ

Servus ac Subditus

obsequentissimus

Gulielmus Hogæus.

A D

Augustissimum, Invictissimumque

Magnæ Britanniæ, &c.

R E G E M,

Gulielmum III.

D E

Pace inter Ipsum & Regem *Gallorum* nuper magno cum Universæ *Europæ* Gaudio fœliciter facta & constabilita.

Θριαμβευτικον.

ILLE ego qui victam cecini paulò ante *Namuram*,
Dum fera bella tonant humanæ prodiga vitæ,
Tympana dum latè trepidas crepitantia terras
Personuêre, novos causa in meliore triumphos

Nunc

Nunc celebro, quia læta novæ victoria Pacis
Sub pedibus fera bella premit, martémque coërcet
Sanguineum, blandámque dedit post bella quietem,
Atque per innumeras spargit sua gaudia terras.
O quam dulce meas resonat Pax alma per aures!
Fama per æquoreas cithara quam dulcior undas
Attulit, atque hominum trepidantia corda levavit.
Terra *Britanna* novis, age nunce, decorata trophæis
Exulta, vigilate virûm nuurtuúmque catervæ
Atque hilari meritas animo celebrate choræas.
Lætitiæ nova causa oritur, nova causa triumphi
Omnia regna trahit sub utroque jacentia Phœbo.
Nuper ut unum aderat quippe & commune periclum,
Sic nunc una salus peperit communia latè
Gaudia ad occiduas ab Eöo margine lymphas.
Tota simul geminis te *Europa* amplectitur ulnis,
Applaudens, *Gulielme*, tibi, Rex optime regum,
Quotquot ubique sacro cingunt diademate crinem.
Inter enim innumeros per te Pax alma sequestrum
Sceptri-

Sceptrigeros cojit: Sanctæ jam *Roma Genevæ*
Conciliata truces posuit fœliciter iras,
Cunctaque nunc odii sepelivit signa vetusti.
Sic Lupus innocuus placido comes astitit agno,
Threicia resonante lyra, leporíque molossus
Accubuit, rabidum timuit nec dama leonem.
Nunc igitur celebres age, *Calvinista* triumphos.
Non carcer, legúmque minæ, duræque triremes
Nunc tibi terror erunt: Populos *Lodoicus* amicum
Accipit in vestros animum, mentémque benignam.
Tu quoque, quam Valdi venerabile nomen adoptat,
Aurea Progenies animis lætare resumptis,
Conciliatur enim vestris Dux ipse catervis.
Nec Pietatis erunt posthæc tibi præmia diræ
Terribilis tortura rotæ, nec Sanguine vivo
Fervida flamma, cruces, virgæ, rigidæque secures.
Dulce decus *Batavûm*, decus ô *Gulielme*, *Britannûm*;
Hæc meritis debere tuis formosa fatetur
Gallia, in horridulos surgénsque Sabaudia mentes.

Præſidium, fortuna, ſalus, tutela piorum.
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.
Jam Satanas Stygio eſt vinclis innexus Averno,
Et fruſtra è regidis luctatur colla catenis
Extrahere, at Pietas rurſum exhilarata triumphat
Lætitia, clarúmque caput ſuper æthera tollit,
Impietáſque ſuum tenebris tegit obruta vultum.
Quis numeret, Lybicas numero niſi prendat arenas
Commoda quanta ferat totum Pax alma per Orbem?
Carpe viator iter, vectórque immune pericli.
Sive quis æquoreos adéas jam, *Galle*, *Britannos*,
Sive, *Britanne* avidus ſis *Gallica* regna videndi,
Utraque tuta Via eſt, evanuit omne periclum.
Hoſtilis furor omnis abit, nam nunc *Lodoicum*
Magnanimus *Gulielmus* amat,neq; nunc minus illum
Magnanimus *Lodoicus* amat, mihi pectora palpant
Gaudia, quod *Gulielme* tibi *Lodoicus* adhæret,
Junctus amicitiæ Sociali ſœdere firmæ.
Magnum ô par hominum,quorum fortuna miniſtrat

Motibus

Motibus, & quorum fatis Cœlum omne vacavit !
Qui dum bella gerunt, bello ſimul integer Orbis.
Arſit, at in placidæ coiêre ut fœdera pacis
Hi duo, pax iterum totum renovata per Orbem
Oppida læta facit, ruriſque oblectat alumnos.
Qualiter auricomum fuſcant ubi lurida Phœbum
Nubila, tota ſimul vaſtæ quoque Machina terræ
Mæſta horret, piceum torpet caligine Cœlum
Aſt ubi jam nebulis facies Phœbæa remotis
Fulget, ubique ſuæ radiantia lumina flammæ
Diffundens hilarat pariter Mare, Sydera, Terram.
Sic ex his pariter ſua gaudia læta duobus,
Suſpendúntque ſuas Mundi regna omnia curas.
Vivat uterque, precor, fœlix, dua ſplendida mundi
Lumina, ſuppoſitas quæ illuſtrant undique terras.
Jam neque vectori innocuo, nec retia nautis
Ulla dolum meditantur, agit nunc otia pontus.
Nunc abiit Pirata rapax, abiêre latrones,
Undique qui inſidias per Spumea regna parabant.

Scindite puppe cava pelagus, liquidásque per æquor
Ite, redite vias securo pectore nautæ,
Dulcis ubique suas nam Pax exporrigit alas,
Et nunc innumeræ gentes, ubi bella fremebant,
Pristina compositis renovant commercia bellis.
Jam neque Sulphureis volitant resonantia flammis
Ferrea tela, cavi passim quæ effudit aheni
Æstus atrox, strictísve seges mucronibus horret
Ærea, nec *Flandros* latè dispersa per agros
Corpora cæsa jacent, permisti & cæde virorum
Semianimes volvuntur equi. Pax alma redivit,
Sæváque terrisoni requiêrunt murmura belli.
Jam silvit stridor lituum, clangórque tubarum,
Nec trepidas gemitus morientum territat aures,
Atque oculos madidum crudeli vulnere ferrum.
Pax rediit, pax alma redux per rura, per urbes
Tristitiæ nubes abigit, querulumque dolorem,
Et loca cuncta facit læto resonare tumultu.
Vos qui pauperiem gemitis, quos urget egestas,

Res

Res anguſta domi quibus anxia pectora vexat,
Rurſum alacres animos, hilarémque reſumite vultum.
Confeſtim exorientur opes, quæ incommoda poſſint
Pellere dura famis ; priſci *Solomontis* ut Ævo
Argentum innumeros lapidum exæquavit acervos,
Nunc quoque poſt belli horriſoni fera prælia, noſtro
Sub *Solomonte* novo, nummorum copia ſurget,
Copia, littoream numero quæ vincat arenam.
Quid? quod opes ſunt pacis opus, pax proſperat Urbes,
Pax etiam fœcundat agros, & munere pacis
Bos ſub aratra venit, ſub terras ſemen aratas.
Pax etiam jucunda facit, ne ſævus ubique
Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago
Terrificent animos : cadat ipſo in flore juventus,
Anticipent ſua fata ſenes, & ab ubere rapti
Infantes tenero conſpergant ſaxa cerebro.
Et deſolatas rariſſimus incola terras
Poſſideat, truncæque manus, truncíque lacerti

Hic

Hic jaceant, alibique caput vel crura, fluantque
Undique Sanguineis plateæque & compita rivis.
Neve aliena ferox devaſtet prædia miles,
Et pariter magnas opulenti divitis ædes,
Pauperis & tugurî congeſtum ceſpite culmen,
Pro libitu populetur atrox, pellátque colonum,
Aut maculet miſeros dominorum cæde penates.

O quam dulce meas ſonuit vox illa per aures,
Pax rediit! *Gulielme*, tibi nunc pectore læto
Terra *Britanna* ſimul dulciſque *Hollandia* plaudunt,
Concelebrántque novis ſua gaudia læta triumphis.
Ac *Lodoice* tuæ figunt gaudentia dextræ.
Oſcula tota tui Imperio gens ſubdita Sceptri.
Jam cum belligeris jucundum *Scotia* Gallis,
Fœdus amicitiæ geſtit renovare vetuſtæ,
Antiquuſque novam favor hic ſupereminet iram.
Anglia ſueta ſuas *Gallorum* onerare carinas
Mercibus innumeris, *Anglorum* & *Gallia* nummis
Sæpe refecta, novos ſimul hæc atque, illa triumphos
Con-

Concelebrant, plausúque sonant fremitúq; secundo,
Alternámque bibunt per dulcia vina salutem.
Pristina quod positis renovant commercia bellis,
Queis nunquā vacua ære domum sibi dextra redibat.
Quis pacis bona tanta bonæ non diligit? Et quis
Bellum odio non prosequitur, bellíque labores
Pestiferi, quod circum atræ formidinis ora
Iræque insidiæque, ferox comitatus aguntur?
Sed cui præcipuam justum est adscribere laudem
Pacis? ab Æthereo certè hæc descendit Olympo.
Nunc igitur lætis animis, Pater optime rerum,
Te canimus, ferimúsque tuum super æthera nomen.
Pax etenim, te Autore, redit, totumque per Orbem
Gaudia læta parit: tu celsi è vertice mundi
Respexti miseros: tibi laus, tibi gloria prima est
Debita qui nostri *Gulielmum* tempore sæcli
Extuleras, tutela piis, terrórque scelestis
Ut fieret, traherétque tuum de fauce Popellum
Exitii, dum Turca ferox, dum Papa cruentus

Horribili

Horribili tonat ore furens, ſtragémque minatur.
Ut tua magnanimi tetigit cum pectora *Cyri*
Dextera, mox genti *Iſacidûm* ſua reddidit arra,
Et juga captivo excuſſit *Babylonia* collo.
Utque iiſdem genitos à Patribus ante, Tyranni
Dum *Pharii* furox ardet atrox, te præſide, *Moſes*
Præſtitit incolumes, medióque ex hoſte reduxit.
Sic turba horrificas Stygia meditante ruinas,
Impulſu, Deus alme, tuo ſe oſtendit in armis
Auriaca ſatus ille domo fortiſſimus Heros.
Et cum triſte jugum impoſuit Papana tyrannis,
Tunc *Cyrus* fuit ille novus, *Moſéſve* Britannis
Ut cum Luna ſuum radiis ſolaribus Orbem
Suppoſuit , mortale genus terrore ſtupeſcit,
Donec ab oppoſitu Lampas Phœbæa Sororis
Libera facta, diem ſolito fulgore reducit,
Et terram tenebris, homines formidine ſolvit.
Sic ubi Papicolûm paſſim ſine vindice vulgus
Graſſatum eſt, *Albionias* ut *Akeldama* terras

Redderet,

Redderet, atque iterum Marianis ignibus uri
Cogeret innocuos, Chriſto niſi Papa negato
Imperet, horror atrox homines ſe fudit in omnes,
Et nox omne caput triſti circumſtetit umbra.
At pater ille deûm ut *Batava* te ſtirpe creatum
Erigit, atque tibi vires animóſque miniſtrat,
Horror abit, nox atra fugit, lux alma redivit,
Et cito papicolæ latebras petiêre catervæ.
Poſt, ubi ſanguinei ſonitus fremit undique belli,
Conſiliis armíſque tuis pax reddita mundo eſt
Et furor, ira ferox, trepidóque inſania vultu
Diriguit, ferrúmque manu torpente remiſit,
Cunctáque paciferam regna amplectuntur Olivam.
Tiſiphone Stygii tenebras remeavit in Orci,
Sæváque ſanguineum geſtans Bellona flagellum.
In quarum rediere locum ſpes, gratia, virtus,
Libertas, Aſtræa, fides, Cœlo edita proles.
Talem *Davidici* læto in moderamine nati
Vitam egére homines ; terram & numeroſa per omnem

Iſacidum gens quiſque ſua ſub vite ſedebant
Suaviter, horriſoni procul à terrore duelli.
Haud ſecus æſtiferi poſt mille pericula ponti
Optata pavidi ut nautæ potiuntur arena,
Exultant, epuláſque parant & vina profundunt,
Puppibus & gaudent læti impoſuiſſe coronas.
Nunc ego multa novæ recolo dum gaudia Pacis,
Virtutes reticere tuas mea Muſa recuſat
Pembrokiæ venerande Comes, Legate *Britannæ*
Gentis, ab excelſo genoroſæ ſanguine ſtirpis
Edite, nobilium flos illibate virorum.
Tu lingua fera bella domas, tu in pacis amorem
Attrahis attonitos vocum dulcedine Gallos,
Colloquiíque tui clavum pax alma ſecuta eſt,
Blandáque diſſidiis rediit concordia pulſis.
Vitis nt arboribus decori eſt, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, ſegetes ut pinguibus arvis,
Tu decori es populis, Comes ô præclare, *Britannis*.
Nec, *Dicvelde*, minor *Batavorum* es gloria, verbis

Con-

Consiliisque tuis, regio dulcissima mundi,
Fecit honorificam cum *Gallo Hollandia* pacem.
Jure utrique viro dignas jam dicere laudes
Terra *Britanna* simul simul alma *Hollandia* gestit.
Ille *Anglæ* telluris honos, proavûmque suorum est,
Hic *Batavum* celso genitus de sanguine, Patres
Vincit, & est *Batavæ* decus admirabile terræ,
Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum pariúsve lapis circumdatur auro.
O pulchra in mediis *Hollandia* consita Lymphis,
Per rura arboribus, & gramine picta virenti,
Pérque urbes domibus latè decorata superbis !
Quæ tibi non totum superatur terra per orbem,
Fructiferi bonitate soli, Cœlíque salubris ?
Tu celebres fœcunda viros, & Marte togáque
Eximios, etiámque genus mortale dearum,
Tu paris, an nemora & sylvas liquêre vetustas
Najades, ut *Batavas* habitent loca dulcia terras ?
Hæc autem innumeras inter celeberrima laudes

 Splen-

Splendet, ut in rutilo nitidissima gemma metallo,
Quod mundo dederis præclarum Heroa, *Britannum*
Qui diadema gerit, cujus celebrantur ubique
Facta per attonitum latè effulgentia mundum.
En quoscunque duces vel narrat fama vel audet
Fabula, longævis vel credunt sæcula fastis,
Unicus ille alios longè supereminet omnes.
Cæsar, in *Emathiis* victor qui evaserat arvis,
Magnus *Alexander* totum sibi poene per Orbem
Qui gladio patefecit iter, *Carthaginis* altæ
Scipio perdomitor, *Curius*, fortisque *Camillus*
Inferius, *Gulielme* tuis hi laudibus omnes
Nomen habent ; virtus erat his pietate remota,
In te una pietas coit & mavortia virtus,
Hi vanos coluêre Deos, tu numen adoras
Ætheris, humanos hi perdomuêre furores,
Tu Satanam & Stygij robur simul omne barathri
Prostratum pede pressisti, atque idola fugasti
Dira, salutiferi defenso lumine veri,

Dum

Dum flammis gladiisq; minax se armabat *Erinnys.*
Sic *Pelusiaci* gens sæva atque aspera regni
Ducere quadrijugos multo cum milite currus
Cœpit, ut *Isacidas* profugos comprendat, at illi,
Patre Deo monstrante viam, data fata secuti,
Tutum iter æquoreas mox invenêre per undas.
Hæc tua fama poli radiantia Sydera lambit,
Diffunditque tuum latè in regna omnia nomen,
Majorémque tibi laudem parit undique, terris
Hesperiis domitos quam si conjunxeris *Indos.*
Ac velut Austrinis populi Regina *Sabæi*
Sedibus exierat, magnum ut *Solomonta* videret,
Cujus ad extremas penetravit gloria terras:
Sic quoque *Moscovitis* qui nunc dominatur in oris,
Et justis regit imperiis tam ingentia regna,
Quam Longum est emensus iter, te ut cernere coram,
Virtutúmque oculos testes adhibere tuarum
Posset? at ille suam longè has transcendere famam
Vidit,

Vidit, & altiloquæ celebravit acumine linguæ:
Jesſiade peregrina ſatum ut Regina ſtupebat,
Et ſupra ire ſuos meritis dicebat honores.
Tu quia ſuſceptam Chriſti defendere cauſam
Impavido perſtas animo, tibi Chriſtus ubique
Dexter adeſt, ſempérque ſui munimine ſcuti
Præſtat in innumeris tutum incolumémque periclis.
Ille tibi, quocunque moves veſtigia, ſemper
Invigilat, ne fraude ſcelus, ne robur apertè
Exitium tibi triſte ferat, ſubitámque ruinam.
O quoties circum caput & latus ivit utrumque
Ferrea grando, ſacram metuens violare coronam?
Quot vani cecidêre doli? quot nocte diéque
Retia ſtructa tuam nequiêre exſcindere vitam?
Mille inter mortes ſoſpes tibi vita remanſit,
Te ſuper uſque ſuas quoniam ille expanderat alas.
Nunc idem tibi tutor adeſt, ſalvúmque reducit,
Cum plauſu fremituq; virûm nuruúmque ſecundo.
Adſpicis aerios liquido cum gurgite ventos

Ad-

Adventu gaudere tuo? tibi flumina pandunt
Cæruleos Thamesina sinus, placidóque recursu
Convolvunt tremulas Euris fœlicibus undas.
Aspicis innumeras Thamesin circumdare turmas,
Ut tibi gratentur reduci, lætísque salutent
Plausibus, ætherio ceu sis demissus Olympo?
Nec tantum, *Gulielme*, tibi, justissime regum,
Terra *Britanna* simul, simul alma *Hollandia* plaudunt,
Lætitiæque suæ manifestant signa, sed omnis
Ante tuos *Europa* pedes prostrata recumbit,
Tutorémque suum, servatorémque fatetur.
Et tibi Nestoreos votis communibus annos
Exoptant hominum omne genus, quos Phœbus Eois
Fluctibus exoriens radiatæ lumine flammæ
Spectat, & Hesperias ubi præcipitatur in undas.
Quod si etiam nostram admittunt communia musam
Gaudia, vive, precor, longum fœliciter ævum,

Vive,

Vive, diu ut fœlix te ſoſpite terra fruatur,
Túque bonis virtute tua potiare paratis,
Nec tibi quæſitis ſubito abripiare triumphis,
Dulce decus *Batavûm*, decus ô *Gulielme Britannûm*,
Anchora firma piis, pavor & formido ſceleſtis,
Præſidium commune bonis, mundíque voluptas:
Atque ubi te terris fatum inſuperabile tollet,
Terrenum æthereo mutes diademate regnum.

FINIS.